



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Afflictio Consolans, Seu Svccincta Non Minvs Ac Clara Methodvs

Wintrich, Victor

Coloniæ, 1644

Discvrsvs VIII. Quia Rex venit verus Dei cultor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45734)

*Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum
 Matth. 5. est regnum caelorum. Ipse ne quæreret
 terrena, qui pollicetur caelestia? Ipse ne
 exagitarer te pro censu, qui seipsum ti-
 Joan. 6. bi præbuit in cibum? Caro mea verè est
 cibus.*

Benedictus igitur Rex noster, qui non
 à nobis ditari, sed nos ditatum venit.
 Age, age, ô Rex Regum, doce nos terre-
 na despiciere & amare caelestia, vt te-
 cum aliquando læti regnemus, & hic
 pace fruamur.

DISCURSUS VIII.

*Benedictus qui venit in nomine
 Domini. Matth. 21.*

Quia Rex venit verus Dei
 cultor:

A Blegata in superiori Discursu,
 Regum, Principum iniusta exa-
 ctione, nunc vt cum Christo Re-
 gum Rege & Domino Dominantium
 cul-

cultores Dei esse velint, si pacis conditiones, si benedictiones hominum Deiq; exoptent.

Ordine consueto.

Primò, Reges Dei cultores esse debere.

Secundò, sin, damna emergere.

Tertiò, talem Christum fuisse ostendam.

SINT REGES CVLTORES DEI.

Bias saepe citatus hanc successoribus Regni, inter cæteras addit Regulam:

Qui Priensium Princeps futurus est, Religiosus esto Deorum cultor immortalium, alioquin enim si Deos Princeps parum reuerenter habet, non est quod homines iustitiam sese ab ipso impetraturos sperent.

D. Ambros. appositè, non potest homini amicus esse, ait, qui Deo fuerit infidus. Sensit hoc Ethnicus quidem M. Aurelius Imperator, dum Coruino Regi Siciliae ob fani euersionem, sequentia scribit: Ad me, inquit, quod attinet, eius qui Deos suos non colit, omnes virtutes pro vitijs esse, certissimè statuo:

An ignoras, Princeps Excellentissime, non esse quemquam adeo cordatum, quin plus ei desit, quàm adsit prudentiæ? An ignoras, neminem adeo sapientem esse, quin plus nesciat, quàm sciat? An nescis, neminem esse tam iustum, quin plurimum ad obtinendam veram iustitiam illi desit? quorsum hæc, Dilectissimi?

Concludat Aurelius Imperator, & audietis, quam obrem dicit, omnis nostræ iustitiæ perfectio & absolutio à diuinâ petenda est iustitia, atque ingens virtutis in nobis defectus perfectionis, diuinæ exuperantia supplendus est, quæ cum ita sint, non Princeps sed Tyrannus appellandus est, qui in proprijs iniurijs viciscendis sollicitus, in persequendis ijs, quæ Dijs factæ sunt, remissus est. Hæc Christiani Principes, ab Ethnico intelligite, & erudimini ad Dei cultum, ut pacem habeatis.

Lib. 1. c. 1. De Romanis testatur & notat Valer. Max. verba hæc pauca quidem, sed ad propositum nostrum satis neruosa, omnino scilicet post Religionem ponenda semper Ciuitas nostra duxit, hinc in-
ter

cer septem quos principio Romæ annis
 244. regnasse Reges referunt Historici
 veteres, laudatissimus fuit Secundus Nu-
 ma Pompilius, eo quòd maximus Deo-
 rum cultor existeret. Quid, ô Christiane
 Princeps, nunquid antiquissimi Lacedæ-
 moniorum Regis æquè ac clarissimi, le-
 gem (quam proposui mei confirmandi
 gratia dictam hic volo) approbatum i-
 bis? Quæ sic inter cæteras sanxit: Ne-
 mini Lacedæmoniorum beneficia de
 manibus Principis, qui nulla Dijs suis
 obsequia præstat, accipere fas esto. O
 Regem excellentem! ô sæculum glorio-
 sum! ô regnum fortunatum, in quo adeo
 perfecta à Principibus virtus exigeba-
 tur, vt ad distribuendas etiam opes,
 summa in ijs iustitia postularetur, siqui-
 dem malè collatum arbitrabatur, quod
 ijs qui Deorum cultores haud erant, im-
 pensum fuerat.

Nec minùs fortunata gloriosa excel-
 lens erat Romana Respublica (vt ad il-
 lam iterum regrediar) dum de illa testa-
 tum inuenio, æquè Principes Romanos
 dilectos, quòd Deos sanctè veneraren-
 tur, quàm quòd hostes vincerent. Erudi-

mini qui iudicatis terram, ne hi iudices vestri in die Domini magno sint.

Præclara namque hæc, & simul cum Numa, Aurelius, nec minus Lycurgus benedici possent, si in vnus veri Dei impendissent obsequium, quod in falsorum Deorum adhibuere cultum. Certum namque est & damna eos, qui Dei contemptores manent euasuros, & præmia quæ cultores sequuntur assecuturos fuisse; sed profanis ne immorer, non aliud Magnatibus sacræ suadent & iubent Litteræ, quam Dei æmulari cultum, quod sic probatum facio: Per Moysen Deus de Rege Israël. longè retrò temporibus futuris loquens hoc imprimis *Deut. 17.* mandat: *Non reducat populum meum in Aegyptum.* Quid hic aliud intendit Deus quam sui cultum continuare, falsorum verò Deorum Aegyptiorum contemptum ingerere? Nunquid Regius Prophetæ, vt successores sui perpetuentur, aliud illis quàm Dei cultum melius medium non inuenit & præscripsit, dum diceret: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* In quo erudiendi? *Seruite Domino in timore.* Quid

rogo, apertius; quid necessarium magis: filio suo post se regnatura, mandare: moriens poterat, quàm Dei vt esset perfectissimus cultor, si Regni stabilitatem, pacis quietem, abundantia & benedictionis copiam obtinere vellet? Sic habet S. Scriptura: *Appropinquauerunt dies 3. Reg. 2. David, vt moreretur, praecepitq; filio suo, dicens: Ego ingrediar viam vniuersae carnis, confortare & esto vir, & observa custodias Domini Dei tui, vt ambules in vijs eius, & custodias caeremonias eius & praecepta eius & iudicia.*

Benedictus certè fuisset Salomon, benedicti cæteri post eum Reges, neque se ipsos, neque totum populum in tot tantasq; calamitates inuexissent, si hanc obseruassent doctrinam.

DAMNA QVAE REGIBVS ET REGNIS, DVM DEI CVLTORES NON SVNT, IMMINENT.

Si totam omnium Regum Israël seriem intueor, maximas plerisque illis clades, quòd Dei cultum abiecerint, euenisse reperio.

Prodeat Saul, & audiamus, quid profuerit:

fuerit:

fuert ei contemptus Dei, ait illi Samuel:

1. Reg. 15. *Quare non audisti vocem Domini? Excusat se Saul, quia ad immolandum Domino quod fecit, fecisset & Samuel, Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non magis vt obediatur illi? quasi peccatum arrolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ: nolite acquiescere, quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus, ne regnes super Israël.*

Adsit etiam Rex David, idemq; confirmet. Dixit ad illum Nathan ex parte Domini: *Ego unxi te in Regem, ego erui te de manu Saul, ego dedi domum domini tui in manus tuas, quare ergo contempsisti verbum Domini & blasphemare fecisti Israël? Audi quod non euadat sine damno: Ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius.*

Stet in ore trium omne verbum. Affirmabit hæc maximo suo damno Salomon, cuius deprauatum est cor per mulieres, qui coluit Deum Astarthen Sidoniorum, & Idolum Moloch Ammonitarum.

rum, igitur iratus est Dominus Salomoni, quod auersa esset mens eius à Domino Deo Israël, & ait illi: Disrumpens scindans regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. O nunc Reges intelligite, erudimur ut seruiatis Deo.

Dicit Marcus Aurelius sequentia: Quamcumque in partem accipiatur, susq; deque habeo, mea sic est sententia, quod quicumque Princeps amplian-
dorum Regnorum & augendarum diuitiarum gratia, causam præbuerit, & labefactandi & imminuendi cultus Diuini, non Rex à nobis legitimè imperans, sed Tyrannus violenter agens vocandus, non est profectò maior tyrannus, nec in alium tyranni nomen iustius competit, quàm in Principem aut Dynastam, qui aduersus Deos suos irreligiosus est, nullum enim flagitium aut facinus tam nefarium est, quod non perpetret, cui Deorum reuerentia perijt.

Ethnicorum Imperatorum ampla considerantes imperia, gloriosas audientes victorias, clarissimos videntes triumphos, Principes Christiani

mirantur, & quam ob causam non proinde ipsi, atque Ethnici olim, à Deo adiuuentur & fortunentur, requirunt. Ad quod respondeo, Ipsos vel bonos esse Dei cultores, vel malos; si boni sunt, magna profectò iniuria illos afficeret Deus, caduca solùm pro obsequijs fidelibus præmia persolvens, pluris enim sunt dena millia iuris perpetui in gloria, quàm centena millia iuris ad vitam in hac miseriarum valle. Sin Principes & Magnates improbi sunt, si neque Dei, neque Ecclesiæ ipsius curam tanguntur, si Dei quærendi aut colendi prorsus immemores sunt, nisi cum periculum aliquod anceps ingruit, tales (inquam) si sunt, meritò nec audire Deus illos vult, nec adiuuare. Ut igitur benedicantur, & pacis conditiones habeant Magnates, vt damnentur, Dei cultores sint feruidi, & sacrorum defensores indefessi.

CHRISTVS CVLTOR DEI
PATRIS VERVS.

Verè Christus Rex noster æterni Dei
Patris cultor fuit maximus, proindeque
sum-

summè benedictus, qui enim in Nati-
 nitatis suæ exordio Angelos ad Patris
 gloriam deprædicandam miserat, *Glo-*
ria, dicentes, in excelsis Deo, ille *LUC. 2.*
 etiam ad vitæ decursum perueniens,
Pater, dixit, manifestavi nomen tuum *Ioan. 17.*
coram hominibus, non meam, sed tuam
 in omnibus quærens gloriam. Verè
 per totam vitam suam insignis & verus
 Patris gloriæ æmulator fuit, Christus
 Princeps noster benedictus, quidquid
 enim ardui, quidquid miraculorum &
 prodigiorum aggressus est, omne id
 à laude Patris fuit exorsus. Lazarum
 resuscitaturus à laude Patris sumit ini-
 tium. Sic habet Euangelista: *Eleva-* *Ibid. 11.*
tis Iesus sursum oculis dixit, Pater, gra-
tias ago tibi, quoniam audisti me, ego
autem sciebam, quoniam semper me au-
dis, sed propter populum, qui circumstat,
dixi, ut credant, quia tu me misisti.
 En ut initium, en ut finem huius
 tanti miraculi Patris præfixit glo-
 riam!

Panes multiplicaturus, & miracu-
 lum operaturus miraculorum, memo-
 riamque maximam suorum mirabilium,

ara

an non Patri defert, illum honorando? Sic Euangelista: *Accepit Iesus panem, & cum gratias egisset, distribuit.*
Ioan. 6. Et iterum: *Elevatis oculis in caelum, tibi gratias agens benedixit.* O verè benedictus Princeps, qui sic per omnia Patris deferebat honori.

Audi & mirare quam sedulo, quam feruenter, quam perfectè Dei Patris zellet gloriam, templum aliquando ingreditur, & vendentes cum eumentibus facto flagello eiecit, dicens: *Auferte ista hinc; scriptum est enim: Domus mea domus orationis vocabitur.* Nolite ergo domum Patris mei facere domum negotiationis. Quid agis, ô Princeps zelose omnium in te citabis inuidiam, calumniam patieris. Ecce adsunt conquirentes, quod ostendit nobis signum, quia hoc facis. Ah quam veraciter impletum in te, quod de te prædictum erat: *Zelus domus tue comedit me.* Verè benedictus.

Nunquid Rex noster apertè protestatus est, hanc esse vitam æternam, si Patris gloria cognoscatur; ideoque, dum suos orare doceret, sic eos orationem

ment

nem oriri mandat : *Pater noster*, qui
es in caelis, sanctificetur nomen tuum: *Matth. 6.*
 ergo benedictus, qui Patrem Aeternum
 benedicere alios instruxit.

Quid plura desideras? nunquid dum
 moriens spiritum immaculatum capite
 inclinato Patri commendat, illi per
 omnia defert? Cur moriens, ô Rex Re-
 gum, sacrum spinis cruentatum verti-
 cem inclinas? Defero Patri, cui spiritum
 offero; ergo benedictus.

Hæc, Reges, intelligite, & Deo
 in caelis gloriam dantes, pacem illius
 in terris assequemini; sic enim scri-
 ptum est: *Gloria in excelsis Deo, Luc. 2.*
*& in terra pax hominibus bo-
 na voluntatis.*

* *
 *

DIS-